

**Lettre de Martin V à Théodore II Paléologue.**

*Codex Barber. lat. 878, p. 228-229.*

*Ad Theodorum Imperatorem Constantinopolitanum.*

*Quoniam unionem orientalis Ecclesiae perpetuo sollicitudinis studio semper optavimus, teque ac clarae memoriae Emmanuelem Romaeorum imperatorem, genitorem tuum, paterna affectione dileximus, hanc nostram affectionem erga personam tuam opere demonstravimus. Nam cum dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Cleofe domicellam Pensauriensem, inter caeteras consanguineas nostras carissimam haberemus, summis virtutibus ornatissimam et bonis moribus institu-*

(1) E. Cecconi, *op. cit.*, p. 30-31.

*tam, eam in consortem tuae excellentiae desponsari, ut sicut in sancto matrimonio, ita omni cultu, fide, religione, doctrina christiana invicem viveretis. Cum autem ad..... salutem et partem eiusdem Cleofe nostrae filiae praedilectae paterna sollicitudine et affectione simus semper intenti, plurimum formidamus, ne propter quotidianam conversationem, quem habet causa tuis et aliis ritui orientalis Ecclesiae et eius caerimoniis (1) assuescat et ad id observandum aliorum suasionibus et exhortationibus inducatur, quod non posset absque gravi mentis nostrae amaritudine et anxietate contingere, praesertim si devieret a praeceptis Romanae Ecclesiae omnium Christi fidelium matris et divinae ac catholicae fidei disciplina. Quamobrem, optime princeps, nobilitatem tuam per viscera misericordiae Jesu Christi, cuius nomen tibi est commune nobiscum, exhortamus, requirimus et rogamus, ut ipsam Cleofe, cuius status, honor, salus est inter caetera nobis cordi, omnino prohibeas eam alias caerimonias, aut doctrinam, quam mandat Ecclesia et vera Christi religio, iubeat non tenere sibi que obsecramus excellentiam tuam alieni ritus a catholicae fidei disciplina observatiam per alios suaderi non sinas, aut eam ad mores et irritum illius patriae observandum tuorum persuasionem et exhortationem seduci, quam quidem observantiam et potes et debes, quantum ad te pertinet, prohibere in..... (2) (sic) dilecte fili, ut tibi vera fateamur, speramus plurimum in virtute et sapientia excellentiae tuae, quod post eiusdem genitoris occasum, qui pro effectu unionis orientalis et occidentalis Ecclesiae, dum vixit, summa cum diligentia laboravit eius sequendo vestigia, causam Dei non desereres, sed illam opere persequeris ac conabis te et tuos cum reliqua christianitate una fide et charitate coniungere. Nam sicut a fide dignis ex Graecia significatum est nobis multorum mentes et animos inflammatos erectos esse percepimus ad persecutionem et consummationem tanti boni proventuri in Ecclesia sancta Dei. Quod si quando tibi et tuis Deus omnipotens hoc salutare consilium inspirabit, ut de christiana religione nobiscum omnia concorditer sentiatis et uni, catholicae Ecclesiae, oboediatis, praeter sempiterna praemia quae parata sunt beatis animabus in Coelo, quanta inde statui tuo et tuorum ac universae Graeciae praesidia et ornamenta provenient? Quod quamprimum te et tuos exequi velle sensebimus, destinare curabimus ad id munus homines divinarum rerum scientia peritissimos*

(1) Le manuscrit : caeremoniis.

(2) Lacune laissée par le copiste.

*et Apostolicae sedis auctoritate munitos, ut nihil ex parte nostra deficiat, quod te et tuos ac universam Graeciam, sublato illo detestabili inveterato schismate, reducamus ad viam salutis aeternae ac cognitionem catholicae veritatis, ad quae suprema desideria nostra tendunt. Praeterea dilectum filium Lucam de Offida, ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, professorem in Theologia magistrum, latorem praesentium destinamus, cui in iis, quae tibi nostri parte reserabit, adhibere velis credentiae plenam fidem. Datum, etc. (sic).*

## II

## Lettre du pape Martin V à Cléopé.

*Codex Barber. lat. 878, p. 229-230*

*Ad Domicellam Cleofe.*

*Putabamus, dilecta in Christo filia, ut postquam te dilecto filio excellenti principi Theodoro Palaeologo disposito more matrimoniali toro coniuxeramus et ad partes illas projecta fueras alios ad veram fidem Christi et cognitionem catholicae veritatis pro tua sapientia et doctrina, prout teneris et debes allicere et inducere debuisses. Et propterea quia de salute tua paterna semper sumus affectione solliciti, et plurimum formidamus, ne propter quotidianam conversationem cum illis ritui orientalis Ecclesiae assuescas et devies a catholicae fidei documentis, quod mentem nostram non mediocriter anxaret, tibi in virtute sanctae oboedientiae et sub excommunicationis poena, quam si confeceris te incurrere volumus eo ipso, praecipimus et mandamus, ut quantum nostram gratiam et benedictionem in te desideras conservare omnibus illis patriae ritu, moribus caerimoniisque reiectis, a doctrina catholicae fidei penitus alienis, ad veram christianam religionem et unicam sanctam Romanam Ecclesiam, extra quem (I) non est salus cum omni humilitate et cordis contritione ac paenitentia si forsan excesseris revertatur et in divinis officiis audiendis et missis celebrandis iuxta formam catholicae Ecclesiae consuetam praeter quam in certis casibus per nos et literas nostras tibi permissis atque concessis immu-*

(I) A partir d'ici l'édition est faite d'après une copie que M. Mercati a bien voulu nous envoyer.

*tabiliter perseveres. Quod si te forsitan contra facere contingat et viam relinquere catholicae veritatis et orientalis Ecclesiae ritui et caerimoniis inherere, quod te tamen non putamus esse facturam si nostris potius monitis obsequentem, arctiorem a nobis poenam consequeris. Caeterum, carissima filia, ut saluti animae tuae, quam semper appetimus, consulatur et in partibus Noricae aliquem locum pro usu et habitatione fratrum tam mendicantium, quam aliorum ordinum, aut presbyterorum secularium, qui inibi iuxta catholicae Ecclesiae documenta vivant et in divinis Domino solemniter cum nostra gratia et licentia sedis Apostolicae construere possis, unam super hoc et quasdam alias literas, quas tibi necessarias esse putavimus ad salutem per dilectum filium Lucam de Offida, ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini professorem in Theologia magistrum latorem praesentium destinamus, cui in iis, quae tibi pro parte nostra reserabit, adhibe credentiae plenam fidem. Datum, etc. (sic).*